



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Septimo Idus Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

nis Báp. Prémonstratensis. quod accommodatitiè cum ad hunc diem facere suspicor, nón verò quod hoc ipso die id contigerit. néc male; nam vestimenta nostra tunc facta sunt alba quasi nix, quæ hoc die de cælo mirabiliter cecidit.

Nonis Augusti.

Eodem die in Anglia S. Osvaldi regis, cuius actus
venerabilis Beda commemorat.

Augusti.
Vide cap.
39. Apot.
Spir. fol.
203.

Huius ossa vnà cum corpore S. Levvinnæ virginis Anglicæ, & reliquijs S. Jtisbergæ Sororis Caroli Magni, anno 1221. ab Adamo Morinorum Episcopo, Bergas S. Wino-ci, quod est Flandriæ oppidum, sunt translata, & in mona-sterio Benedictinorum ibidem collocata. Sicque rex Anglorum, a-pud filium regis Angliæ requiescit. Fuit enim S. Winocus Iudicail regis Britonum filius, & S. Judoci Frater, qui spreto mundo, sub S. Bertino circa annum 661. in Sithiu monasterio (hodie Bertinense vocatur Audomaropoli) monachus efficitur, cum tribus fratribus suis, Kadanoco, Ingenoco, & Modoco. quo tempore S. Bertinus Iperius in prærat turbæ 150. monachorum, inter quos Winocus quasi Stella Chron. matutina p̄æ ceteris clarescebat. Bertin.

Miraculus
in fact.

Septimo Idus Augusti.

7.
Augusti.

Messanæ in Sicilia S. Alberti Confessoris Ordini-nis Carmelitarum, miraculis clari, qui aqua in sui nominis honorem benedicta, pestem repel-lere consuevit.

Vide cap.
41. Apot.
Spir. fol.
210.

Solemne est diuersis in locis, ad diuersa mala propulsanda, a-quam benedicere. Ita Gelæ ad S. Dignam famosam dæmo-niorum domiticem, aqua pro energumenis benedicitur. Si-militer in Cœnobio Ordinis nostri Parcensi prope Louanium,

E

aqua

aqua benedicitur per inuocationem S. Quirini , qui magna deuotione ibidem colitur contra dolorem aurium , oculorum , aliasque varias infirmitates . In Cœnobio itidem nostro Diligemensi iuxta Bruxellam , aqua benedicitur per meritum S. Blasij , contra dolorem gutturis ; Sanctus enim hic Martyr specialiter contra hoc malum soleret inuocari , quia hanc gratiam curationis à Domino antequam pro eius nomine esset decollandus , expetijt , pueri prius sanato , qui ipsam gutturi habebat infixam .

Quarto Idus Augusti.

10.
August.
Vide cap.
38. Apot.
Spir. fol.
197.

Romæ via Tiburtina natalis beati Laurentij archidiaconi , qui in persecutione Valeriani , post plurima tormenta carceris , verberum , diuersorum scorpionum , fustium & plumbatarum & laminarum ardantium , ad ultimum in craticula ferrea assatus , martyrium compleuit : cuius corpus à B. Hippolyto & Iustino presbytero sepultum fuit in cœmeterio Cyriacæ in agro verano .

HAec tenus Rom. Martyrologium , quod rectè ponit eum in persecutione Valeriani passum ; ex quo aliorum vulgata opinio corrigitur , qui sub Decio eum passum dixerunt : de quo plura vide apud C. Baron . in notis Martyrologij hoc die , & in Annal . anno 253 . quorum summa est , quod Decius Valeriano tribuerit amplissimam Censuræ potestateim , vna cum legum scribendarum facultate ; vnde cum in Edictis nomina inscriberentur Decij & Valeriani , persecutio primum authoritate Decij indicta , eodem nomine perseverauit in posterum , cum praesertim nihil opus fuerit Valeriano nouas leges sancire in Christianos , vigentibus ijs quas idem ipse iam tulerat , Decio imperante : vnde ab authore qui eam indixerat , quæ facta est sub successore , perseverauit denominari . Ex quibus complures tricas & ambages historicas soluas , dum plerique Martyres in persecutione Decij & Valeriani vna passi leguntur ,

quos